

*magnis nautis.* Amphibolia etiam oritur, quando Relativum *Qui* ita inflexum occurrit, ut quodlibet duorum Substantivorum præcedentis orationis respiciat; sic in illô Ovidii. 1. Metam.

*Unus erat totô Naturæ vultus in orbe,  
Quem dixere Chaos.*

*Quem*, & ad *orbe* & ad *vultus* referri potest. Hujusque generis tam multa passim cuilibet occurrunt exempla, ut plura addere non sit opus. Duo quoque accusativi cum Verbô infinitô constructi, quorum alter agentem, alter patientem denotat, sententiam reddunt amphibolam, ut in tritô illô oraculô Ennii apud Ciceron. lib. 2. de Divin.

*Ajo te, Æacida, Romanos vincere posse.*

Quisnam hîc sit victor futurus, quis verò victus, in ambiguo relinquitur. Huic simile est illud Plauti Mercat. Act. 2. Scen. 4.

*Pentheum diripuisse ajunt Bacchas.*

Et illud apud Quintilianum, lib. 7. cap. 9. Instit.

*Lachetem audiivi percussisse Demeam.*

Quodammodo etiam amphiboliam esse statuunt quidam in illô Terentii. Hecyr. Act. 2. Scen. 1.

*Itaque adeò unô animô omnes socrus oderunt nurus.*

Nam & *socrus* casus recti esse potest; *nurus* causativi, & contrà: Nos verò Homonymiam potius dicimus: *Socrus* enim & *nurus* voces homonymæ sunt à casu per inflexionem, cum quartæ sint declinationis, cujus nominativus, genitivus & vocativus singularis, nec non nominativus, accusativus, & vocativus pluralis terminatione congruunt. Et hinc istius sententiæ ambiguitas, non autem ex constructione, ut in præcedentibus, & in hîc,

—— *Cælô decurrit apertô,*

Ubi dubium est, *utrum per cælum apertum decurrit, an cum cælum apertum esset*, ut habet Quintil. loc. cit. qui adhuc unum alterumve subjungit exemplum, quod quoniam ad rem præsentem facit, hic apponere libet. *Ubi est id, ait, quod quò referatur, dubium est, & ipsum est ambiguum.* Heres meus dare illi damnâs esto omnia sua. In quod genus incidit Cicero (in Brutô) loquens de C. Fannii soceri institutô, *Quem, quia cooptatus in Augurum collegium non erat, non admodum diligebat: præsertim cum ille Q. Scævola sibi minorem natu generum prætulisset. Nam id sibi & ad socerum referri, & ad Fannium potest.* Hæc Fabius; quibus accenseri etiam debet illud Octavii, venienti ad se Ciceroni dicentis, *quòd postremus amicorum accederet.* Ad orationis porrò constructionem etiam referri potest Ordo, seu collocatio vocabulorum, unde etiam, quæ ex illâ oritur ambiguitas, huc pertinet. De hâc sic idem Quintilianus eodem locô. *Fit per Collocationem; ubi dubium est, quid quò referri oporteat:*

*teat:*